

PRAEFATIO

folium unum occupavisse, ita iacturae quam passa est familia *D* et corruptelae quam exhibet *V* unam fuisse causam.

De hoc archetypo nunc agendum est. De locis duobus (ii. 118, ix. 2) ubi *V* lacer est iam dixi, restant quattuor, qui sunt

(27) i. 7 nec ita multum proventus reiect- *om.* *V*¹

(28) vii. 14 nisi paruerit huic ordini, quid re- *om.* *V*

(30) xii. 16 -cear in quo ne si dissensero quidem a *om.* *V*

(31) ii. 118 contempsi Catilinae gladios non per- *om.* *V*¹

Duo eiusmodi vulnera in *D* offendimus.

(30) v. 20 habeat possessor quantum relique- *om.* *D*

(31) iv. 15 esse Catilinae gloriari solet scele- *om.* *D*.

Consensio est plane singularis, sed de codice eodem agi non necesse est. Felici casu accidit ut in vii. 14 paulo post 28 litteras a *V* omissas colon *multo postea gravius urguebamur* (28) absit a *D*. Nunc succurrit ratio arithmetica. Quod si eiusdem codicis versus singulos omiserint *VD*, medium profecto spatium quod inter locos omissos intervenit certo versuum numero continebatur. Summa litterarum intercedentium est 368 ($28 \times 13 = 364$): optime igitur quadrant omnia.

Tribus magnis lacunis familia *D* laborat, videlicet ii. 93-6, v. 31—vi. 18, x. 8-10. In ii. 93-6 archetypi folium unum intercidisse opinatus sum: nunc versuum quos in editione Teubneriana a C. F. W. Müller curata hi loci occupant summam dabo:

x. 8-10 = 33 versus : ii. 93-6 = 34 versus : v. 31—vi. 18 = 527 versus ($33 \times 16 = 528$).

In *V* est ante *sunt ea quidem* § 93 haec varietas contextui addita, *Quid ego de commentariis Caesaris infinitos quidem numerabilibus cyri-graphis Caesaris loquar?*